





INDEX  
LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI SECVNDI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA  
FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE HIBERNVM

A D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCCII

AD D. XV. M. MARTII A. MDCCCCIII

HABEBVNTVR.

S. Vahlen  
De Accu p. 10. t. 10. vered.  
non nullas  
BEROLINI

IMPRESSIT GVSTAVVS SCHADE (OTTO FRANCKE).

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

<https://archive.org/details/deversibusnonnul00vahl>

VNIVERSITATIS LITTERARIAE  
FRIDERICAE GVILELMAE  
RECTOR ET SENATVS.

**L.** Accii poetae tragici versus nonnullos\hac prooemiandi occasione tractare animus est, quos ne a Ribbeckio quidem tertium 'tragicorum Romanorum fragmentis' editis satis recte adornatos intelligimus. Etenim nota res est veterum poetarum Romanorum versus superstites a grammaticis aut glossarum scriptoribus citatos ab acutis criticis, ut prae ceteris versuum formas testium vitio luxatas reconcinnent, in diversas saepe partes rapi, ac nonnulli, quo angustius est et debilius fundamentum, in quo haec res geratur, eo maiore sibi licere libertate emendandi uti existimant. A quibus nostra mens longe discedit, qui cum semper ita censemus nihil magis cavendum esse quam ne quae corrigere cupimus nostro arbitratu depravemus ultro ac perdamus, tum in istis versibus singularibus, qui quo nexu in suis fabulis habitu fuerint plerumque nescitur, non ab eo incipiendum esse ut aliquod metrorum genus ex vulgaribus restituamus, sed inde potius exordiendum dicimus ut verba quae scripta sunt quam fieri possit planissime perspiciamus. Sic enim putamus ex verbis esse versiculi modum percipiendum, non verba ad ficti metri necessitatem regenda. Atqui haec non nescimus vulgaria esse et aperta, sed tamen nimis saepe doctos homines videas in hoc genere ita agere quasi haec vulgaria numquam cognovissent; ac nos non doctis hominibus scribimus, sed in usum adulescentum, qui ad haec studia se dare cupiunt, quibus solemus auctores esse, ut si quando ad has tractandas fabularum Romanarum reliquias accedant, ne scripta verba, in quorum memoria sunt omnia, susque deque habeant, dummodo addendo demendo mutando simulacrum quoddam versus exeat, sed ut excussa grammaticorum fide verba tradita simplici ac libera mente expendant, si forte non solum sententiam quam condant sed etiam metri formam a poeta iis impertitam ultro patefaciant. Sed promamus exempla, quibus spes est haec quae dicimus fore apertiora.

I. Nonius igitur Marcellus, cuius haec omnia sunt quae disceptanda sumpsimus, compendiosae doctrinae lib. II qui est de honeste seu nove veterum dictis p. 143, 21 M. haec scribit

'noxitudo pro noxia. Accius armorum iudicio: "ocule noxitudo obliteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus".'

Molestem est colligere cuncta quae viri docti de his verbis emendandis commenti sunt, sed tamen ut assequamur quod volumus fieri non potest quin nonnulla narremus eorum quae alii proposuerunt. Ac L. Quicheratus Nonii editor Parisiensis (a. 1872) haec ita edidit

Occule: noxitudo . . .

Oblitteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus, in extremo versu priore quod fecit interstitium trisyllaba voce velut *pristina* addita suppleri posse suspicatus. I. H. Onions qui partem tantum compendiosae doctrinae sed eam idoneo instrumento critico adornatam emisit (Oxonii a. 1895) cum eadem hoc modo signata daret

† Ocale noxitudo

Oblitteretur Pélopidarum ac pér nos sanctescát genus,  
cruce critica fixa ante *ocule* ibi scilicet mendam delitescere indicavit. Denique L. Muellerus, Nonii auctor non ingeniosissimi sed sumptuosissimi, versibus istis ita formatis  
. . . quei nōxitudo oblitteretur Pélopidum

ac pér nos sanctescát genus

hanc adnotationem subiecit: 'quei M(uellerus) ocale (praec. o) C(odices); *Pelopidum* M *Pelopidarum* C; idem vitium in Agamemnonidis Accii p. 146 s. l. *oblitterare*; qui priorem v. pro trimetro habuerit, non pro parte tetram., licet huic reponatur ac pér nos genu' sanctéscat.' Quae temere ac sine ratione ulla exposita documento esse possunt quam verum sit quod diximus doctos homines hoc sequi unum, ut mutatis ad libidinem verbis ludendo modo sic modo sic, ut aiebat rusticus, versus fingant qui sibi placeant. Haec editores Nonii. Ribbeckius autem, qui iam ter reliquias tragicas collegit ac recensuit, ut valde tenax esse suorum solet, ita novissime acquievit hac quam olim commendaverat horum versuum conformatioine

nóxitudo . . .

Oblitteretur Pélopidarum, ac pér nos sanctescát genus.

Desiderari enim opinatur in fine prioris *mutua*; *ocule* autem quod abiecit ex glossa *occule*, *occulta*, quae legitur p. 148, 20, huc irrepsisse suspicatur, 'secuta illa', ut ait, 'olim titulum *oblitterare* p. 146, 28, cui ipsi noster locus fuerit adpositus.' Qui tamen quam non contentus fuerit forma versuum ter proposita iis declarat quae a. 1871 adnotavit: 'varie transponi et mutari possunt verba: vel *oblitteretur nōxitudo Pélopidum* | . . . ac pér nos sanctescát genus; vel *Pelopidum* | *Oblitteretur nōxitudo ac pér nos s. g.*'

Hiscine putabit aliquis quicquam certi et cui fidem habeat repertum esse? Non, opinamur. Sed ut mittamus paulisper *ocule*, quae vox plerisque praecipuae

offensioni fuit, quod post *noxitudo* intercidisse vocem trisyllabam mensura cretica statuunt, sive *pristina* sive *mutua*, hoc est ex eo genere deliberandi quod non possit non perversum ac sanae rationi contrarium haberi. Nam tantum abest ut sententia eius modi additamentum requirat, ut quidquid addideris, dubitari non possit, quin poetae oratio perapta ac perspicua misere corrumpatur. Quare non ex praesumpta metri forma colligere mancum esse versum debebant, sed contra ex eo quia nihil addi potest quod oratio ferat aut recipiat, non esse eam quam crediderunt numeri rationem intelligere. Non minus mera libidine et versus conficiendi gratia excogitatum est, quod *Pelopidum* pro *Pelopidarum* genetivum pro genetivo reposuerunt, id quod Muellero eo verisimilius visum est quod p. 146, 30 ‘idem vitium’, ut ait, in versu Accii occurreret. Quasi vero cum bis eadem temeritate utare, alteri ex altera subsidii accedat: nam quod ille ‘idem vitium’ dicit, est eadem fides librorum, quae hic et illic *Pelopidarum* formam testatur. Sic enim scribit Nonius l. c.

‘oblitterare est obscurefacere et in oblivionem ducere. Accius Agamemnonidis: “inimicitias Pelopidarum extinctas iam atque oblitteratas memoria renovare”?’

De quo versu paulo post disputandum est: interim haec duo exempla satis fidei faciant Accium *Pelopidarum* formam non sprevisse, quem etiam *Tantalidarum* dixisse constat in sententia nostrae simili (fab. incert. VII, 657)

Quinam Tantalidarum internectioni modus  
Paretur aut quaenam umquam ob mortem Myrtilli  
Poenis luendis dabitur satias supplici?

*Pelopidarum* ipsum etiam tertio loco in versu quodam ignoti poetae tragicci legitur, qui Ciceroni semper in ore est: laudat enim modo plenum *ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audiam* (vel *facta neque famam audiam*), modo, utpote notissimum, dimidiatum *ubi nec Pelopidarum*. Quodsi oratio nulla re augeri potest nec licet *Pelopidarum* in breviorem formam convertere, iam consectarium fit, quoniam *ocule*, quod mox probabitur, ad hunc versum pertinere non potest, Accium eam versus formam voluisse, quae ex verbis traditis nulla voce mutata prodit:

Nóxitudo oblitteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus.

Qui praeclarus est omni genere pentameter trochaicus. Quid ergo hoc esse dicimus, quod doctos homines videmus versus Acciani tam sententiam quam orationis formam, utramque egregiam, omni libertate corrigendi maluisse in deterius mutare quam illud metri genus, quod proponimus, agnoscere et comprobare, cum praesertim ipsi persentiant, ut eorum adnotata testantur, se nihil stabile aut quod ipsis satisfecerit ista coniectandi temeritate assecutos esse. Recusant fateri, quod apertum est nec negari potest, veteres poetas Romanos hoc genere metrorum usos esse, quod Graecis non inusitatum fuisse testimonio et exemplis constat, et quod Bentleius ne a Terentii quidem comoediis alienum fuisse demonstravit. Nos olim (in prooemio a. 1888/89) versus nonnullos Ennianos eadem audacia emendandi multifariam vexatos nulla littera inflexa integros

et eximia arte formatos pentametros trochaicos esse persuadere studuimus, frustra, si quid Ribbeckii tertiae recognitioni credas. Nuper ad eandem quaestionem reversi (in relat. acad. a. 1901) Terentii quibusdam versibus multum et in diversas partes disceptis salutem non constare ostendimus nisi illa forma versus recepta. Atque ut verum fateamur nos ita sentimus, si quod Accio reddidimus unum esset huius metri exemplum, ambigere non licere propterea quod numeri pedesque tam aperte ac venuste cum oratione ac sententia conspirant. Nunc nisi fallit opinio inter Accii reliquias plures sunt versus quos probabilitas suadet ut his numeris compositos statuamus.

Sed nobis redeundum est ad *ocule* quod versui nostro praefixum est a Nonio: cui voci tam nullam esse vim ac sententiam docti crediderunt, ut aut abiiciendam esse aut acriore remedio ad sanitatem revocandam censerent. At Ribbeckii ratio qua is *occule* (non *ocule*) ex alio Nonii loco in hunc translatum esse sibi persuasit, nimis est artificiose quaesita, quam quae facile probari possit\*). Muellerus autem qui Nonium scripsisse affirmat a. iudicio: ‘*quei noxitudo* —’, quamquam idem tam Nonii textu quam Accii reliquiis a se editis recepit, nobis nec sententiam consuluisse neque litterarum mutandarum artificio, quo solo quorundam criticorum virtus continetur, ullo pacto satisfecisse visus est. Sed Ribbeckius mirum est quod cum conieciisset *ocule* esse *occule*, quod verbum Nonius paulo post (148, 20) affert et explicat, illud non vedit, nihil aptius potuisse ad hanc sententiam applicari quam ipsum illud *occule* i. e. *occulta*. Is enim, qui noxitudinem Pelopidarum obliterari sive in oblivionem adduci cupiebat, quid poterat magis apposite iubere eum quocum colloquebatur quam occultare ea quorum ille videtur revocare memoriam voluisse. Si autem haec se intima necessitudine excipiunt

*occule:*

Noxitudo obliteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus, iam praecisa est omnis facultas aut aliter dimetiendi numeros aut mutandi verba et importuna manu turbandi quae scitissime composita sunt.

Haec dum reputamus, advertit altera sententia ex eodem Accii armorum iudicio allata a Nonio qui p. 237, 18 scribit

‘altum vetus antiquum. Vergilius georgicorum lib. III (v. 285) “altius

---

\*) In adnotatione conabimur si possumus hauc perversitatem paulo accuratius declarare. Sunt enim tres loci Nonii qui hoc pertinent: a) 143, 21 *Noxitudo* cum exemplo ex armorum iudicio, de quo agimus; b) 146, 28 *Oblitterare* cum exemplo ex Agamemnonidis quod attulimus; c) 148, 20 *Occule occulta. Cicero . . .* Itaque finxit hunc titulum *ocule* aliquando secutum esse illum qui est 146, 28 *Oblitterare*, in hoc autem titulo scriptum fuisse olim versus ex armorum iudicio, quia is versus etiam *oblitterandi* verbum habet. Illud non appareat, utrum hunc versus tantum *Oblitterandi* titulo haberet etiam titulo *Noxitudo*. Sed certe, si *ocule* excipiebat titulum *oblitterare*, in quo versus *ocule noxitudo* non legitur sed aliquando lectum fuisse conjectatur, ne sic quidem satis intelligeretur qui *ocule* in eum versus pervenisset, nedum in eum titulum qui est *Noxitudo*. Illud autem falso sumitur, Nonium versus *ocule noxitudo*, quia et vocem *Noxitudo* et *oblitterare* habet, sub his duobus titulis adlaturum fuisse, quod praeter Nonii consuetudinem esse facile demonstrari potest.

omnem expediam prima repetens ab origine famam" et lib. VIII (v. 395) "quid causas petis ex alto". Accius armorum iudicio "cur vetera tam ex alto adpetissis discidia Agamemno?".

Omittimus Nonium non satis recte quod est *altum* interpretari, sed Accii verba sic ut supra scripta sunt codicum testimoniis, leviculis quibusdam differentiis non obstantibus, satis perspicue traduntur. Neque est quod *adpetissere* verbum, unde *adpetissis*, quamvis singulare sit, addubitetur. Metri autem forma aperta est neque ambigua:

Cur vétera tam ex alto ádpetissis díscidia, Agamemno? . . .

Nisi quod ille artis metricae antistes quia probabile non sit 'ab Accio praeter primum pedem in numeris iambicis admissum proceleusmaticum', coniectura usus, quae cūpientem numquam deficit, hoc versu suum Nonii textum ornavit

cur vétera tam ex alto ádpetissis díscidi, Agamemno, [initia]?

Sic mille locis poetarum veterum Romanorum superbia criticorum vanis praeceptis metricis inflata orationem vel optime structam sua sponte deformavit. Nam quis qui non cupida mente sed libero iudicio orationem perspicit, non hoc intelligat, *vetera discidia ex alto adpetissere* apte et ut decebat, non *vetera discidii initia* dici. Quod vero Ribbeckius scribit *optime* posse versum concludere, inanis est opinatio et cuius nulla ratio apparent. At quoniam versus ille cretica voce finiri poterat aut debebat, quidni in hac sententiarum communione coniungimus quae coniuncta integrum orationis continuitatem efficiunt:

Cur vétera tam ex alto adpetissis discidia, Agamemno? occule:

Nóxitudo obliteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus.

Cui iuncturae illud non obstat quod iambicum octonarium excipit pentameter trochaeicus, quod genus ne Terentii quidem artem refugisse alibi diximus (relat. acad. I. c. p. 1108). Sed si illa probabiliter composuimus, iam appareat Agamemnonem esse eum quem ille nescio quis iubeat occultare et oblivione obruere vetera Pelopidarum discidia, quae iam in eo erat ut ille ex alto adpetisseret. Quis vero is fuerit cuius haec verba sint, ambiguum est nec satis perspicuum. Putamus autem, maxime propter illa verba *per nos sanctescat genus*, quae mutari non debebant, Menelai esse fratrem admonentis. Ribbeckii quidem rationes, qui horum versuum tenorem non perspexit, in libro de tragoedia Romana p. 373 sq. expositae (somniat enim nescio quas inimicitias Atreum inter et Alcathoum fratrem) nullo modo stare posse videntur, si quidem *vetera discidia*, quae Agamemno replicaturus erat, aut *Pelopidarum noxitudo*, quae obliteranda dicebatur, non possunt nisi ad Atrei et Thyestae inimicitias referri, idque comprobari arbitramur versu similis sententiae, quem a Nonio p. 146, 30 allatum supra p. 5 apposuimus. Quem iam disceptabimus paucis. Ex Accii igitur Agamemnonidis haec afferuntur: *inimicitias Pelopidarum extinctas iam atque obliteratas memoria renovare*. Quorum sententia aperta est neque hic quidem *Pelopidarum inimicitiae* quae dicantur obscurum. In verbis haeret aliquid dubitationis propter discrepantiam librorum: nam si verum est, quod testantur docti, in Harleiano codice prima manu exaratum esse

quod supra scripsimus *extinctas iam atque obliteratas*, non licebit eam auctoritatem negligere, sed tamen mirum est, cum haec probabilis scriptura esset, correctrici manu in eodem codice effectum esse *extincta tam obliteratas*, quod ipsum ferri non potest. Sed est haec ceterorum scriptura\*), cui si quid tribuendum sit, malimus cum Quicherato scribere *extinctas et iam obl.*, quia *iam* non minus apte, sed paulo fortasse aptius cum *obliteratas* quam cum *extinctas* coniungitur\*\*). Sed Harleiano codici si fides est, illam scripturam retineamus oportet. Ceterum de ea re utut iudicatur, ad totam formam orationis aut sententiae nihil inde ambiguitatis redundare apertum est. Sed verba Accii editores Nonii et Ribbeckius duce Vossio in tres versus distribuendos duxerunt:

Inimicitias Pélopидум

Extíctas iam atque oblitteratas mémoria  
Renováre.

In quibus trimetris nihil est quod valde vituperetur, sed constare non poterant nisi *Pelopidarum* nomine in alteram formam genitivi mutato. Quod cur improbabile habendum sit supra p. 5 expositum est. *Pelopidarum* autem si servamus, quod ratio suadet, actum est de illis versibus et consentaneum est conari nos poetae aliud genus metrorum reddere. Id quod nullo negotio efficitur, si quidem sua sponte haec verba, non coacta critico iussu mentionem trochaicam subire manifestum est, sive hoc modo ut integrum octonarium excipient reliqua

Inimicitias Pélopidarum extíctas iam atque oblitteratas  
Mémoria renovare

sive, quod propter illam similitudinem nobis praestabilius visum est, ut pentametrum expleant

Inimicitias Pélopidarum extíctas iam atque oblitteratas mémoria  
Renovare.

Verum quidquid statuitur, ad nostram causam nihil interest: nam nostrum non tam est verba Accii suis versibus restituere quam eorum integritatem a criticorum temeritate vindicare. Id quod cadit etiam in hoc exemplum quod idem Nonius suppeditavit.

II. In libro tertio compendiosae doctrinae qui agit de indiscretis generibus p. 225, 32 haec leguntur

‘squalor masculini est generis. Feminini Accius Eurysace: “pro di inmortales speciem humanam inusitatam egregiam indignam clade et squalitudine”.’

Non est quod levissimas quasque scripturae discrepantias enumeremus, quae fere ne impediunt quidem quominus agnoscatur quid verum sit aut quid scriptum fuerit. Unum *inusitatum*, quod tenent libri omnes, quaeri oportet, sitne ita recte scriptum an

\*) Ex tā natum causa Urbinatis codicis, ex quo nihil efficiendum erat. Mirabilia sunt quae Ribbeckius coroll. com. LXXIV scribit.

\*\*) Cf. Cicero in Verr. II 1 21, 56 ne haec cuipiam nimis antiqua et iam obsoleta videantur. Varro de l. L. IX 16 sic enim obsolescent ac postea iam obliterata facilius corrigi poterunt.

pro eo *invisitatam* reponendum, quod cum illo etiam alibi permutatum est. Sed critici hoc quasi tradito utuntur non ut tueantur sed ut inde efficiant quo opus sit ne oratio ruat. Pendentem enim accusativum *speciem humanam* eqs. ne suo regimine carere paterentur, quod usui esset ex *invisitatam* petierunt. Itaque a Bothii invento *invisitatem egregiam* exorsus Nonii sospitator haec in exemplari suo repreaesentavit:

pro di inmortales! sp̄c̄iem humanam *invisita*  
*tam* egrégiam, indignam *scabie* et squalitudine.

In quibus *scabie* quod posuit pro *clade* (nam hoc inesse in librorum *ciade* pridem perspectum est) relinquimus: alterum quod vocem *invisitatam* dissecuit in duas, etsi perdignum est magno critico facinus, non tamen eius desiderium explevit: sensit enim iam parum aptum esse *tam*, et modeste adnotavit ‘*tam* fortasse delendum?’ Deleamus ineptam particulam. Quid tum postea? Nempe periit eximiae divinationis probabilitas. Itaque rem in medio opere reliquit, et aliis commendavit quod ipse non probat nisi ex parte. Eadem via longius provectus est is qui excogitavit quod Onions suo textu recepit, qui ut ille percupidus est Nonium quam emendatissimum exhibendi: scribit enim

Pro di inmortales! sp̄c̄iem humanam *invisi*, *ita*  
Egrégiam, indigna cláde ac squalitúdine.

Is igitur *tam* syllaba fortiter abiecta, quam ille invitus tolerabat, quae restabant *invisita* rursus divisit in duo, ut haec praecilla haberet *invisi*, *ita Egregiam*. Nihil dicimus de ratione metrica quam iniit; sed quis non videt talia tesserarum lusu digniora esse quam arte seria ac severa.

Tres illi quos diximus, ne abesset quod regeret accusativum, hoc ex *invisitatam*, quia verbi *invisendi* vel *invisitandi* speciem offerre videretur, recuperarunt: illud non viderunt, quam absurdum esset et hanc orationem dedeceret totum verbum quacumque forma poneretur. Id non fugit Ribbeckum, qui cum retineret ac defendeter *invisitatam egregiam*, quae optime coniungerentur, in corollario ad reliquias tragicas a. 1871 editas p. LVI de *invisita* vel *invisito* hoc admonuit: ‘neque ad subitum ac primum conspectum quadrat verbum frequentativum neque exclamatio *pro di inmortales* alterum excitamus ut oculos in aliquid intendat.’ Addimus hoc idem cadere in *invisi* narrantis formam, cum illa exclamatio non melius congruentem. Sed tamen Ribbeckius, cum in hac re recte iudicasset, in altera erravit cum vulgo: perstitit enim in eo ut verbum desiderari diceret, quo addito utrumque assequi voluit, ut et orationis structura ne labaret et probabilis versus forma exiret. In eoque consilio dupli faciunt cum illo ceteri, nisi quod mutando ex *invisitatam* effici voluerunt, quod Ribbeckius addendo: qui haec scribit, ut addamus quod addi posse dixit,

. . . . pro di inmortales! sp̄c̄iem humanam [cóntruor]

Invísitatam egrégiam, indignam cláde et squalitúdine,  
similiterque Quicheratus edidit nisi quod *inusatam* servavit cum libris.

Ergo, quod principium fuit horum errorum, nemo criticorum huius orationis proprietatem perspexit, quae non solum non requirit verbum sed aucto verbo deterior

evadit. Exclamationi enim accusativum nominis a nullo verbo pendente subiungi frequentis est usus, quem videmus nunc doctissimos viros conficiendi versiculi cura occupatos et occaecatos neglegere et oblivisci. Satis esto pauca exempla attulisse. Itaque Accius ipse ait Alphesiboea VIII

O dirum hostificumque diem, o  
Vim torvam aspecti atque horribilem!

Terentius Adelph. III 4, 1

Pro di immortales, facinus indignum, Geta,  
Quod narras.

Eunuch. III 1, 28

Di vostram fidem, hominem perditum  
Miserumque, et illum sacrilegum.

Ibid. v 4, 21

Pro deum fidem, facinus foedum, infelicem adulescentulum,  
aliique saepe. Quare cum nihil sit quod Accium eodem modo nunc locutum esse  
negemus aut dubitemus, perspicuum fit haec quae tradita sunt '*Pro di immortales, speciem  
humanam invitatam egregiam indignam clade et squalitudine*' integerrimam esse oratio-  
nem, in qua nec mutari quicquam neque addi aut demi nisi cum insigni detimento  
eius possit. Et hoc nos pro certo habemus, quidquid de versu instaurando statuitur.  
Sed si circumspicimus, qua ratione verba apte in versus distribui possint, non videtur  
melius posse sententiae et orationis naturae responderi quam partibus hoc modo dis-  
pertitis:

pro di inmortales,

Spéciem humanam invitatam egrégiam indignam cláde et squalitúdine.  
Quorum versuum alter est pentameter trochaicus, in quo sive verba sive metra per-  
spicias nihil esse fatendum est quod non optime elatum sit; illa *pro di inmortales*, nisi  
fallimur, octonarii exitus, quae in extremo superiore habentur ut apud Terentium  
Adelph. III 3, 12

Pro Iuppiter,  
Hominis stultitiam.

III. Impeditiora sunt quae capite tertio complectimur. Primum haec quae Nonius scribit lib. VIII qui est de mutatis declinationibus p. 485, 4

'iteris positum pro itineris. et quidem recte ab eo quod iter iteris facit,  
itiner iteris. Naevius Lycurgo: "ignoti iteris sumus, tute scis". Accius  
Oenomao: "praesto etiam adsum. exprome quid fers: nam te longo itere  
cerno vadere". idem Telefo . . ?'

In quibus sunt quae a Nonii editoribus non recte institui videntur\*). Sed nos non

---

\*) Nam primum haec quae recte scripta sunt *iteris positum pro itineris et quidem recte ab eo quod iter iteris facit, itiner iteris* quia non intellexerunt quamvis aperta additamentis quibusdam plane pessum dederunt, dein ab Nonio abiudicarunt, qui eaudem sententiam in lib. VIII de mutatis

agimus nisi de Accii verbis ex Oenomao depromptis. Quae ut metri formam reciperent varia temptata sunt a doctis; olim *exprime* pro *exprome* posuerunt quod Quicheratus retinuit:

praesto etiam adsum: *exprime*  
Quid fers: nam te longo itere cerno vadere.

Haec est illa metrorum blanditia, quae etiam doctis hominibus subinde fucum facit, ut verbis a sententia abhorrentibus acquiescant quia numeros explent. Quis enim ferret hoc *exprime*, quod quam ineptum sit in hac sententia neminem fugere potest, cum in promptu esset *exprome quid fers*, quo nihil erat huic orationi accommodatius, modo hoc tam facile quam illud metrorum generi quod volebant applicaretur. Muellerus maluit haec ita edi:

‘praéstō, em, iam adsum?’ — ‘exprómīto:  
quid férſ? nam te e longo itere cerno vādere.

Plura novavit quae nunc non persequimur: *expromito* autem quod posuit, servavit ille quidem verbum traditum et rei aptum, sed versus scilicet perficiendi causa cum *expromito* facit pro *exprome*, cui hoc probabile videbitur qui modo sensum sermonis affert et quid istae formae verbi distent non ignorat.

Illi alterum versum trimetrum esse iusserunt. Ribbeckius, qui *exprome* intactum reliquit, maluit tetrametrum formare hoc modo:

... praesto etiam ádsum. —

Expróme quid fers: nám te longo [ab] itere cerno [huc] vādere.

Supplementa missa facimus quibus effecit ut hic tetrameter recto talo staret. Illud advertimus, quod verba *praesto etiam adsum*, in quibus *em, iam* posse pro *etiam* scribi coniecit et Muellero persuasit, a proximis verbis non solum metri genere sed etiam sententia separavit ita ut haec alii personae adscribenda duceret: versum autem paroemiaci partem esse voluit, statuit enim quem haec dicentem fingit, aliquot versibus anapaesticis adventum suum indicare eique dein alterum ita respondere ut iuberet expromere quid ferret. Non nova est haec opinio de duabus personis inter se sermocinantibus, sed olim proposita, a Quicherato quidem repudiata, a Ribbeckio autem denuo commendata, post quem Muellerus eandem sibi sententiam adrogavit. At nos, ut mittamus alia quae isti rationi adversari videntur, verba ipsa *praesto etiam adsum* quid sibi velint dum exquirimus, id nobis persuademus nullo modo posse in advenam quadrare qui se venisse et iam adesse nuntiet, neque eo magis ad hanc rem apposita fore si pro *etiam* reponas *em iam*: totam enim hanc orationem tali consilio quali accommodari

declinationibus p. 482, 19 affert cum in mediis exemplis formae *itiner* addit: *equidem mutata declinatio non est; ab eo quod est iter iteris facit, ab eo quod est itiner itineris*, quae et ipsa resecant et interpolatori adscribunt. Idemque cum Charisius docet i p. 48, 20 et 49, 11 (cf. 83, 3 sqq. et p. 134, 12 sqq.) tum Priscianus vi p. 229, 1 sqq. Etenim quia vulgo *iter itineris* tamquam heteroclita ferebant, grammatici negabant hoc recte fieri, sed *iter iteris, itiner autem itineris* facere. Cur igitur vetamus Nonium hoc idem docere.

volunt aperte refragari. Quid ergo est? Nos si recte sensum ex his pauculis verbis excutimus, non hospitem nescio quem peregre advenientem audire nobis videmur, sed potius eum qui provocatus e domo ut progrediatur audiendi causa quae afferantur respondet se praesto adesse: quasi provocanti *τὸν καὶ τὸν ἐκ δόμων μολεῖν καὶ παρεῖναι δεῦρο βούλομαι* domo progrediens respondeat *καὶ δὴ πάρειμι*. Huic enim Graecis frequentatae particularum iuncturae, qua se quis facere fatetur quod iussus erat (*ἱστόρει τί σοι γίλον.* || *καὶ δὴ σ' ἐρωτῶ. τάδε φράσαι.* || *καὶ δὴ πέφρασμαί*) persimilem esse opinamur *etiam* particulam, nimis illam, ut appareat, neglectam a doctis, qua nobis tamquam certissimo indicio prodi videtur hanc esse respondentis orationem. Ac si quis de Graeca tragoedia vel Aeschyli Choephor. v. 634 sqq. vel Euripidis Phoeniss. 298 sqq. Helen. 435 sqq. reminiscitur aut inspicerit, facile sibi animo informare poterit, quo modo haec acta sint in scena, cum quis adveniens provocat et provocanti respondetur.

Quae si probabiliter disputata sunt, negari non poterit, orationem hanc quam dissecuerunt et in duas personas distribuerunt, unum esse et continuum unius personae sermonem: *praesto etiam adsum: exprome quid fers: nam te longo itere cerno vadere.* Quae nos dum curiosius riñamur ac perspicimus, non possumus non sic uti scripta sunt in libris integra et intacta habere, in quibus nihil sit, quod aut deesse aut superesse dicas, nihil quod non mutando necesse sit in deterius mutetur. Quo magis cendum est, ne cum numeros verbis reddimus corrumpamus quae egregia sunt. Videntur autem haec nulla syllaba mutata in pentametrum trochaicum coire:

Praésto etiam adsum: expróme quid fers: nám te longo ítere cerno vadere. In quo praeterea nihil est quod offendat aut vituperetur, nisi forte quod in *lóngō itere* vocales non contrahantur. Qui trimetrum maluerunt, hoc evitarunt:

quid férs: nam te longo ítere cerno vadere,  
sed exitus prioris ad idem genus referri non poterat nisi depravata oratione: inde enim nata sunt *exprime* et *expromito*. Ribbeckii tetrameter hiatu non carebat, quem expulit:

Expróme quid fers: nam te longo [ab] itere cerno [huc] vadere:  
paulo enim importunius, ut solebat, versum dupli additamento auxit: lenius idem efficitur si *feras* de Buecheleri opinione scribas, quamquam dubitatio est, quam recte hoc pro illo poetae obtrudatur. Sed esto de tetrametro: ne sic quidem extrema pars superioris versus suam nacta mensuram videatur. Quo fidentius repetimus eum quem supra proposuimus pentametrum

Praesto etiam adsum: exprome quid fers: nam te longo itere cerno vadere, qui si quid iis quae adhuc disseruimus effectum est, non deterior illorum machinis sed paulo fortasse iis praestabilior habebitur. De hiatu autem ita sentimus, quoniam altera forma quae est ab *itiner* Accius uti non poterat, vix clementius hianti orationi occurri posse quam in media ea *huc* particula adiecta

Praesto etiam adsum: exprome quid fers: nam te longo [huc] itere cerno vadere, ut Accius nunc eodem modo locutus videatur quo Epigonis IV (Non. p. 158, 7) *iam*

*Amphilochum huc vadere cerno*, sed fatendum est ne hac quidem voce adiecta opus fuisse et orationem eam esse quae nihil mutationis recipiat.

Itaque in ambiguo relinquendum est, Accius utrum semper in versibus facientis vocales contraxerit an nonnumquam ne distractas quidem fastidierit. Cuius generis alterum exemplum expendendum est. Nonius lib. iv de varia significatione sermonum p. 279, 25 haec scribit

‘deponere est desperare: unde et depositi desperati dicuntur. Lucilius . .

Vergilius . . Accius in Tereo [ii]; idem in Alphesiboea: “etsi est in malis depositus animus meus, quae scibo, exinde audies”?

Rursus ut inde incipiamus, unde solemus, haec de Alphesiboea verba qui spectat, intelliget, opinamur, non solum integrum et perspicuum esse sententiam, sed nativa simplicitate orationis expressam qua solet uti Accius. Et nisi metrorum sollicitudo doctos transversos ageret, starent intacta et placerent omnibus: Nunc postquam in animum induxerunt, hos trimetros esse, integrum et dimidiatum alterum, quoniam parere verba huic imperio noluerunt, invita cogi necesse erat. Itaque hos versus descripserunt:

etsi est in malis

depósitus animus, quaé scibo exinde aúdies.

Pronomen *meus* enim Bothio praeeunte cum Muellerus tum Ribbeckius expulerunt et ille, ne quis dubitet, adnotat *mus* syllabam praecedere ex qua *meus* nasci potuerit\*). Ribbeckius autem aliquando dubitavit (coroll. in com. reliq. a. 1873 p. cix), quam recte pronomen deleretur; et videtur adhuc ita sentire servari posse sed transpositum. Cum enim versus alter mancus sit, ibi spatium paratum est, quo pronomen recipiatur. Itaque Quicheratus edidit

etsi est in malis *meus*

Depositus animus, quae scibo exinde audies,

Ribbeckius autem, quod certe praestat et quod sibi verum videri adnotat

etsi *meus* est in malis

Depositus animus quae scibo exinde audies.

Alii ab eadem persuasione qua hos trimetros esse decretunt, *meus* pronomine relicto alia parte versum adiuvare conabantur, cum *ex me audies* et similia scribenda proponerent. Quae conamina omnia apertum est orationi simplicitate dicendi ac naturali verborum ordine conspicuae non profuisse, et cum fide licet affirmare nihil eorum vel infimum gradum probabilitatis assequi. Veram rationem unus perspexit Buechelerus, cuius felix ingenium multifariam his reliquiis a Ribbeckio tertium recognitis saluti fuit; is enim intellexit hos non trimetros esse, quos frustra laborarunt refingere, sed verba immutata in trochaicum octonarium abire. Quem ita descriptis:

Étsi est in malís depositus ánimus meus quae scíbo exinde  
Aúdies.

---

\*) Qui ne expers meriti abeat etiam *etsist* scripsit.

Quae nos vehementer probamus (nam Ribbeckio non persuasit), nisi quod ex iis rationibus quas exposuimus, voce quam exclusit versu recepta integrum pentametrum constituere malimus

Étsi est in malis depositus ánimus meus quae scíbo exinde aúdies. In quo qui hiatus est inter *scibo* et *exinde* tolli quidem potest non uno modo, velut *scibo [ea] exinde* vel *scibo [e me] exinde*, sed utrumlibet supervacaneum est additamentum et inutiliter orationem onerat. Quare nos ita censemus, hunc hiatum non magis dedecere poetam quam quem supra vidimus in versu Oenomai: *nam te lóngo itere c. v.* \*).

Similis controversia re summa profligata manebit in extremo quod tractaturi sumus exemplo. Nonius enim lib. I compendiosae doctrinae p. 39, 5 scribit haec:

‘eliminare extra limen eicere. Pacuvius . . . Ennius . . . Accius Meleagro “timide eliminor (tum ut eliminor) clamore simul ac nota vox ad aures accidit”?’

Idem lib. IV de varia significatione sermonum p. 292, 20

‘eliminare est exire. Ennius . . . Accius Foenissis . . . idem Meleagro: “timidae eliminor clamore simul ac nota (agnota) vox ad aures accidit (accivit)”?’

Ex coniunctis amborum locorum scripturis hoc videtur satis patere formam primitivam sententiae Accianae hanc esse: *timida eliminor clamore simul ac nota vox ad aures accidit*, nisi quod *timida an timide* primitus scriptum fuerit, ambigi potest. Sed *timida* praestabit, si quidem haec recte de sententia Ribbeckii ad Althaeam matrem Meleagri referuntur. Ceterum sententia plana est, ut non sit quod opem criticam exspectet aut requirat. Coniunguntur autem verba sic *timida eliminor clamore*, neque opus erat aut cum Bothio [*Cum*] *clamore simul ac* scribi aut [*E*] *clamore simul ac* cum Ribbeckio; neque haec omnino sententia flagitante sed metri stabiendi causa inventa sunt. Nam cum haec discedere in duos versus vellent, quoniam id fieri non poterat eo modo quo Onions alterum descriptis, iusto minorem aut maiorem iusto

timida elíminor

Clamóre simul ac nóta vox ad aúres accidit,  
aut horribiliore dimensione Quicheratus,

timide eliminor

Clámore simul *atque* nota vox ad aures accidit,  
additis voculis istis probabiles versus efficere studuerunt, Ribbeckius

---

\*) Sunt haec eiusdem generis exempla hiatus: *lóngo itere* et *scibo exinde*. Quibus tertium addo Plautinum Capt. II 3, 66

Íd ut scias Iovem supremum testem *laúdo Hégio*,  
quem versum ita Nonius p. 335, 10 tradidit, *do* libri Plautini. Non eiusdem generis sed tamen attendendum hoc Accianum apud Nonium p. 15, 31 (452 R.)

*Méleagro ubi tórrus esset imperfectus flammens,  
quod prave deletur.*

timida eliminor,

*É* clamore símul ac nota vox ad aures accidit

et cum Bothio Muellerus

timide eliminor,

*cum* clamore símul ac nota vox ad aures accidit.

Sed tamen vel his commentis quam fidem habeas, quae non sententiae necessitate sed mera versuum faciendorum commoditate nituntur.

Rursum unus recte iudicavit Buechelerus cui mirere Ribbeckium ne hic quidem astipulatum. Is enim spretis futilibus coniecturis sed adhibita dimensione trochaica, quae se paene auribus inculcat non surdis, hunc probabilem octonarium proposuit

Tímida eliminór clamore símul ac nota vox ad aures

Áccidit.

Sed simul recurrit ea quam modo in Alphesiboeae versu tetigimus quaestionem, utrum praestet, tetrametrum statuere superaddita voce an omnia in unum pentametrum concludere:

Tímida eliminór clamore símul ac nota vox ad aures accidit.

Ac nobis hoc, licet illud refutari nimirum non possit, eo probabilius visum est, quia huic ne hiantis quidem orationis offensiunculam obsistere appetet. Sed tamen illi quoque versui putamus ex hoc nonnihil adminiculi accedere, quo facilius hiatu non prohibente pro vero pentametro habeatur. Verum de ea re utut iudicabitur, nobis satis sit si hoc assecuti sumus ut intelligatur artem criticam in reliquiis veterum poetarum Romanorum exercere magnae rem cautionis esse, ne cum probos versus facere cupiamus sententias et orationis formas nostra culpa deformemus et corrumpamus.

Ser. m. Maio a. MDCCCCII.





